

qui lib. i. d. differ. febr. cap. 4. ubi de præservatione à febre pestilenti agit, purgationis quidem & obstructionum aperitionis, nullam verò phlebotomiæ mentionem facit. Manet nihilominus sanguinis detractioni in tempore institutæ, & debitibus limitibus inclusæ, sua laus apud Practicos. Neque interdicendæ penitus videntur *cucurbitulae* iis, qui longè tempore earum usui sunt adsueti. *Fonticulis* tamen plus tribuendum censemus, quorum commoda si ex Autorum scriptis recitare vellemus, amplam encomiorum farraginem inveniremus. Evacuant sensim absque ullâ jacturâ virium pravos humores, sicque sanguinem liberant; quin non leve attracti veneni præbent indicium, quando vel planè siccantur, vel male coloratam saniem fundunt.

§. XXVII. E *pharmaciam* depromuntur *lenientia* & *purgantia* àw ῥγ̄ κάτω, quæ uti cacochymiæ in primis debentur, ita ea eligenda, quæ corporis ac humorum naturæ respondent, hâc cautione adhibitâ, ut benigna sive mitiora usurpentur, à fortioribus abstinendo, quæ aut colligando, aut nimium agitando & fermentando nocivam virium resolutionem causari, vel in sanguine turbas excitare valent: Et sic quam egregiè ad pestis seminia recipienda disposuisse corpora, tristes sanè observatorum relationes ostendunt. Sufficiant itaque è simplicioribus *senna*, *polypodium*, *serum lactis*, *rhubarbarum*, à cuius usu quotidiano *Zaccharias* à *Puteo*, *Medicus* quondam *Venetus* à peste per XXVI. annos durante immunis evasit. Ex compositis: *elixir proprietatis purgans*, *pilula Ruffi*, *Mindereri*, *Cratonis*, *Angelicae*, *rosate*, *sanguis rhubarbari*, & similia.

§. XXVIII. Commodissimè quoque prima regio